



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica**

Ab anno Christi 1479. usque ad annum 1494

**Fleury, Claude**

**August. Vind. [u.a.], 1768**

**VD18 90118340**

§. 73. Britanniae Dux Rivenarum Marescallo reconciliatus.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66444](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66444)

Sæcul. XV. lum, aliasque tam exigui momenti  
 A.C. 1487. urbes occupabat, ut harum omnium expugnatio Nannetensis urbis felicitatem minime adæquare potuerit; hac enim capta Rex facili negotio totam Britanniam suis armis subiecisset.

Altera ex parte magis secunda Gallis adspirabat fortuna; Albretus enim, qui collectis tribus ceu quatuor armatorum millibus Britanno in auxilium accurrere parabat, a Candalio in itinere interceptus est, atque in arce Nontrouensi ad Lemovici fines cinctus, suas copias deditioe facta dimittere, ac Regi fidem imposterum servandam polliceri compulsus est. Sub idem tempus Cordæus, qui in finibus Arthesiæ copiis imperabat, Audomaropolim, & Theruanam dolo cepit, atque in loco a Bethunia non nisi media Leuca distito Philippi Cliviensis Ravesteinii legiones profligavit, ipsumque Philippum unacum Egmontio & Nassoviensi Comitibus, Bossutio, aliisque in captivitatem abstraxit. Maximilianus hac clade attritus, ab armis cessare, ac Wallonum Provincias Victorum arbitrio cedere coactus est.

§. LXXIII.

*Britanniæ Dux Rivenarum Marscallo reconciliatus.*

**A**dverso hoc fato Britanniae Dux alieni sub-

subsidii spe frustratus, Ducatus sui Sæcul. XV. A.C. 1487.  
 Nobiles in gratiam reducere conabatur: Argentre  
 Cum autem inter ceteros potentia facile hist. Brit. lib. 12. c. 40.  
 princeps esset Rivenarum Marefcallus, hunc præprimis promissorum amplitudine  
 sibi conciliare tentabat, eidemque pollicebatur, quod illi supremum exercitus  
 imperium deferre, ejusque consilia unice amplecti velit; præterea Marefcallo  
 exposuit, totam Britannia salutem in solo ejus præsidio repositam esse. Verbo,  
 tot rationum momentis illum devicit, ut Marefcallus, cum ob violata pacta in ca-  
 stro Brientii sancita jam aliunde Gallis infensus esset, in pristinam concordiam  
 cum Duce rediret, hujus pacis conciliatore Convennarum Comite; priusquam  
 tamen foedus firmaret, Galliarum Regem datis literis obsecrabat, ut copias  
 suas e Britannia evocaret; eas enim non nisi ad Aureliae Ducem inde propellen-  
 dum fuisse accersitas ajebat: illo igitur suisque sequacibus ultro discessum paran-  
 tibus, absque foederis læsione Gallis in Britannia hæere haud integrum esse.  
 Insuper Nobili hujus epistolæ Bajulo clam dabat negotium, ut Bellojovientem Co-  
 mitissam adiret, ejusque sententiam hac super re exploraret, quæ etiam dato mox  
 responso mentem suam aperire haud dif-  
 ferebat. Nec magis propitium erat Re-  
 gis responsum, quod Convennarum Co-  
 mes

Sæcul. XV.  
A. C. 1487.

mes Legatus ad Carolum a Duce missus accepit. Hæc rerum facies plurimum valebat, ut tandem Rivennarum Marefcallus firmiter sibi persuasum haberet, Gallos nonnisi Britanniam occupandi cupiditate stimulos præfens bellum inchoasse; unde ab eorum partibus penitus cessit, illiusque exemplo quam plurimi Britanniae Proceres permoti ad Ducis sui obsequium redierunt.

## §. LXXIV.

*Fœdus inter Galliarum Regem & Matthiam Regem Hungaria.*

*Bonfin. lib.  
4. dec. 7.*

Carolus Galliarum Rex, cum Matthiam Hungariæ Regem Friderico Imperatori bellum inferre intelligeret, misso ad eum Oratore firmum, ac constans foedus cum eo inire nitentur, eo fine, ut, dum Imperator, & Maximilianus Rex Romanorum gemino bello, eoque in diversis Flandriæ & Austriæ regionibus inchoato distraherentur, neuter alteri suppetias ferre posset. Matthias, dum Engburgum Austriæ oppidum expugnabat, de proximo Gallici Oratoris adventu certior reddebatur, unde quantocius eidem cunctos Proceres, ac Prælatos, qui tum ejus latera stipabant, obviam procedere iussit; ipse vero Legatum singulari pompa exceptum ad suum alloquium admisit, denique

fcede-